

H. Sax. C  
177

H. Sax. C  
177

*Hist. 5. 100*

11)

P A N E G Y R I C U S  
CONTINENS  
LAUDES ET RES GESTAS ADVERSUS  
TURCARUM TYRANNIDEM,  
*Serenissimorum ac Potentissimorum Principum  
ac Dominorum,*  
DOMINORUM  
JOHANN. GEORG. III.  
*Piæ Memoriae,*  
ET  
FRIDERICI AUGUSTI  
DUCUM SAXONIÆ,  
*Juliaci, Cliviæ, Montium, Angriæ  
& VVestphaliæ.*  
Sacri Romani Imperii ARCHI-MARECHALLORUM  
& ELECTORUM.  
LANDGRAVIORUM Thuringiæ,  
Marchionum, Misniæ, utriusq; Lusatia,  
BURGGRAVIORUM Magdeburgi.  
COMITUM Hennebergensium, Barbiensiumqve,  
Marcae & Ravensteinii.

*Clementissimorum Dominorum meorum*


<sup>2</sup>  
Subjectissimo Servo

CHRISTIANO CRÜGERO, Septuagenario,

Berolinensi Marchico, Notar. Cæsar. Publ. & Advocato  
Crosnensi jurato, Levi penicillo Exceptus.

*Anno M DC XCVII.*

620



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.





**D**E admirabili, divinaque Potentissimorum Electorum Saxoniorum fortitudine atque sæpius iterata victoria absque styli nitore & sermonis elegantia, verba facienti; ventura posteritas plus admirationis quam fidei tributura est. Fateor me magna & sublimia in describendis tam fortiter & feliciter à Serenissimis Electoribus contra Ottomannos gestis, tentare, in quibus exornandis, ut facilis est conatus, ita lapsus excusatio, homines sumus, humani igitur nihil à nobis alienum esse putare debemus; jam verò errare humanum, veniaque dignum cum exquisitissimi non rarò fallantur. Quod si ergò dum laudes Principum cano, mihi quoque aliquid humani contigerit, ita, ut in omnibus rem acu haud tetigerim

tigerim veniam tamen merebor; & si non  
laudabitur factum probabitur tamen cona-  
tus; Non quidem inficias ire possum extitis-  
se plures qui ante me non ulla huic Panegy-  
rico simillima divulgarent, sed tamen nec  
mea quæliacunque sunt fore ingrata sancte  
confido. Etenim magna fiducia, absque ulla  
ambitione scripsi & summa cum trepidatio-  
ne emisi, DEUS adjuvet meam industriam!  
Quicquid autem sit totum hoc negotium ad  
Serenis. Vestr. iudicium pertinet, quare Ex-  
ordii modum, ut excedam aut longior sim  
quam par est, nullam video causam, hinc abs-  
que longiori præfamine rem ipsam potius  
aggredior: Neminem autem tam remotum  
esse à memoria præteritorum temporum pu-  
to; Qui ad huc promte teneat, quomodo in-  
fensissimus Christiani nominis hostis Turca,  
cui ingrata quies, Anno Millesimo Sexcen-  
tesimo octogesimo tertio, Mense Augusto  
Cæsaream sedem Viennam; infelici tamen  
successu, invadere ausus sit. Hæremus & ob-  
stupefcimus attoniti & ambigui dimittimur,  
quando recordamur incredibilem vim, in  
expugnanda Vienna per octo septimanas,  
miro

miro artificio tentatam, undiqvaqve clausa  
erat Vienna & in urbe miseranda rerum fa-  
cies, varia caede pereundum erat; ferro, flam-  
ma, incendiisque, nocte dieqve vexabantur  
obsessi, circa urbem, latisimæ flammæ, alta-  
qve incendia relucebant & pagi, per aliquot  
milliaria urbi vicini involvebantur; ô luctu-  
osum malorum initium! lachrymabile futu-  
rorum dolorum argumentum! Qvis dubi-  
tat ab obsessis, non absqve stupore, hæc o-  
mnia cum infelici cinere cumulata loca visa  
fuisse; Mars ipse obstupuit & execratus est  
funestum tragicumqve spectaculum vix spes  
auxilii reliqua, labascens Vienna à præsen-  
tissimo periculo vindicanda, viribus & auda-  
cia multoqve potentior hostis reprimendus  
erat armis. Festinatis igitur itineribus Rex  
Poloniæ JOHANNES TERTIUS, & Elector  
Bayariæ MAXIMILIANUS EMANUEL,  
cum Electore Saxoniae JOHANNE GE-  
ORGIO TERTIO, & CAROLO QVIN-  
TO Duce Lotharingiæ à Majestate CÆSA-  
REA accersiti, prope Viennam cum copiis  
comparuerunt; Quo prædictus SAXONIÆ  
ELECTOR primum Barbaris fortissimo as-

sultu se opposuit, atqve Generoso & felicissimo Regis Poloniae Ducisque Lotharingiae confœderatorum auxilio suffultus, Turcarum potentiam incredibili animi magnitudine & virtute plane Heroica fregit, castra diripuit, hostes prostravit, fugavit, dissipavit, ut Tyrannica gens quo se verteret nesciens, Vienna relicta in fugam se conjecerit, sed insecuti fugentes maximamque partem in via fuerunt deleti, sic præda onusti redierunt Saxones, ovantes Triumphantes; ô Magna Gloria! ô incredibilis Triumphus! Parta hac ratione prope VIENNAM celeberrima Victoria præstabat adhibere symbolum Imperatoris CAROLI QVINTI. PLUS ULTRA, ARX spei Turcicae validissimum Præsidium inexcuperabile Martis claustrum Hungariae CAPUT BUDA, vincenda erat, quod intrepida mente decretum, & non obstante Fortissimo propugnaculo in quo milites efferi, non homines sed Belluæ adamantina mole duriores, nulla arte ac virtute expugnandi, qui ab invictissimo CÆSARE, ANNO millesimo, sexcentesimo, octogesimo quarto, undequaque clausi sed absque effectu oppugnati, Anno Millesimo

mo



mo, octogesimo sexto, mense Junio autem, Cæsariam, Bavari, Saxones & Brandenburgenses conferta manu convenerunt & adhibito Duce Lotharingico reliquisque copiis auxiliaribus & sponte pugnantibus ob olim tentatæ obsidionis memoriam & resistentiæ vim, nondum deterriti, bonis avibus stupendæ obsidionis aleam periclitantur; semotisque omnibus difficultatibus & non attentis fortibus propugnaculis, firmo castello, tum objecto flumine tremendoque vallo, portis firmis, crebris munimentis, fossaque præcipiti, feralibus denique tormentis, quibus Buda munita, ut quo irrumperes, Achæron movendus videretur; Et tot Hercules quod milites conducendi, ut intrares, interiora terræ viscera perfodebantur & occultatis ignis subruebat incautos, qui antequam arma expedirent, jam ab hoste quem sub pedibus habebant victi erant, quidam in altum sublatis, in aëre & coelo exspirabant animam, alii animam agentes veniebant in potestatem hostium, alii terra & pulvere obruebantur, dubii, an vivis an mortuis, superis aut inferis annumerandi? Funeribus cumulabantur funera,

calcabantur, sine honore & sine discrimine,  
non lugebant aliorum mortem, qui suam ex-  
spectabant, nec filius Patris nec Pater obitum  
filii dolebant. Magnis autem animis nihil  
impossibile erat; quo propius ad urbem ag-  
gressus, eo alacrius operis successus, nihil re-  
lictum inaccessum nihil intactum; Sic tan-  
dem expugnata, Buda, auxiliante divina gra-  
tia, secunda die Sept., horis circa tertiam  
postmeridianis, & quidem ea die, qua ante  
centum quadraginta quinque annorum fe-  
riem, in potestatem Turcicam venerat, cum  
magna jactura Christianorum octies frustra  
obsessa. Et e faucibus Ottomannorum, non  
absque magno fremitu eorum erepta, sub  
Gloriosissimo & Inviictissimo Romanorum  
Imperatore LEOPOLDO PRIMO, sem-  
per & in perpetuum Augusto, exultat atque  
Triumphat. Nunc Rerum bello gestarum  
magnitudinem Serenissimi atque Potentissimi  
DUCIS & ELECTORIS SAXONIÆ FRIDERICI  
AUGUSTI delineare dignum erit, invita-  
tus enim IMPERATORIS benignissima voce in  
adjutorium maxime ferocissimi Belli, quod  
Turca præter lapsis Annis Christianis intule-  
rat.

rat. Et Anno Millefimo Sexcentesimo nonagesimo quinto & sexto continuare decreverat. Exiit Serenissimus ELECTOR non Annis, sed animo Magnus pro tuenda DEI atque Imperii causa Paternis vestigiis insistendo sequere talem praestando, qualem Imperator sperabat; vidimus deduci copias exquisitissimas, quas nemo amicorum sine admiratione, nemo hostium sine trepidatione aspexit; Sequebatur flos belligerantium, robur delectum Saxoniae, quae instructissimarum copiarum species, spectatores cernentes oculis, quod narrando vix credidissent, in summam coniecit admirationem, Et quanto ELECTOR Auguste potentia Tua armorumque gloria notior orbi, tanto virtutum Tuarum nunquam moritura fama illustrior est; Quorum contemplatione dum defixi haerebamus, audivimus expectatum desideratumque accessum Tuum appropinquare, Heu! quanto gaudio expectantium exultavit turba, quam cupide certarunt ubique concurrentium studia, cingebaris magna principum, Augustissimique Imperatoris Legatorum celebritate, laetissimus omnibus,  
gratis-

gratisfimoqve tubarum certamine ac concentu, pronis vexillis, Signisque, omni veneratione cultu perfusus, gaudiis exceptus ab Exercitu; gestiebant omnes & mirabantur, quos ad suscipiendum exercitum Imperator miserat. Igitur Cæsareanis, reliquisq; auxiliariis militibus non tantum omnibus seculis duraturam famam, sed insignem victoriam, incredibili benignitate Divinam & Fortitudine bis reportasti. Tua igitur Serenissime PRINCEPS supra ætatem Virtus admirabilis nullo genere verborum depredicanda sed præconio, VENIT, VIDIT, VICIT, finienda.

Redux DEI GRATIA venisti illæsus; vidisti, de spe ac ambitione dejectum Turcomannum, vicisti incomparabili fortuna Fœdi fragum Ottomannum.

Tibi benignissime DEUS vota solvimus & submissa supplicatione gratias agimus pro omnibus in ELECTORES SAXONIÆ collatis beneficiis.

Beasti nos, per Electorem JOHANNEM GEORGIUM TERTIUM pie defunctum, beasti NOS, per Filium FRIDERICUM  
AU.

AUGUSTUM in dignitate & Gloria pater-  
na viventem & propria laude coruscantem.  
Fac ô DEUS, in hanc tantam benignitatem  
ingrati ne simus merisque secundis rebus Tui  
obliviscamur.

Serva ac sospita Optimum ELECTOREM  
præfatum FRIDERICUM AUGUSTUM  
sit per Te illæsus & validus impofterum, illa-  
que Gloria & felicitate fatorum, usque diu  
fruatur.

Floreat etiam Gloriosissima Principum  
Serenissima Thalami Socia, benedicat Ipsi Al-  
tissimus ut vigeat atque valeat lætissimosque  
fructus ulterius ferat uberrimos, ne unquam  
desit in Serenissima Tua posteritate, qui gla-  
dium Saxonicum gerat, felicissime. Vivat  
etiam Serenissimus Electoralis hæres à DEO  
datus spes & solatium Saxoniae, DEUS ipsum  
in sinum quasi foveat & tanquam Sigillum in  
brachium reponat, ut sit benedictus coram  
Domino in æternum!

Ego interim supplices ad DEUM preces  
effundam pro salute & incolumitate Domus  
SAXONICÆ, Regiminis Securitate, Gloriaeque  
perennitate. Nullus dubitans, quin ex Sum-  
mo

mo

mo illo dignitatis fastigio & gloriosissimo so-  
lio, in quo Tuam Serenissime ELECTOR  
erga quosque bonos clementiam inusitatam  
& incredibilem juvandi affectum admiratur  
orbis terrarum, me quoque inter tot bona  
verba, in praesenti dicentium & prospera quæ-  
que humillimâ voce apprecantium clemen-  
tissimis oculis aspecturus sis, quo per TE vi-  
vere, per TE gloriari, per TE plausus  
edere possim lætissimos.

D I X I.



Inl Inl

H. Sax. 1777

